Quibus post multos sudores bellorum adventus Christi advenire
promittitur, per quem ab hostibus liberentur. Sacerdotes quoque eos prophe-
ticis verbis sic alloquuntur: Dicit dominus ego cogito cogitationes
pacis et non afflictionis. Qui in oratione dominice precantur, ut eorum men-
tes ad divinum opus excitentur. Lectio eis ad futurum regem predicat,
qui eos in iusticia iudicans ab inimicis eruat. Qui in graduali
pro sua liberatione et hostium confusione gratias agunt. In alleluia Qui
sanat contritos corde plaudunt. Euangelium bene consonat, quod quinque
milia hominum quinque panibus saciata narrat, quia post quinque
milia annorum datus est panis angelorum, per quem refecte sunt mentes
beatorum. In offertorio De profundis peccatores ad dominum clamant,
ut hoc pane digni fiant. In communione Amen dico vobis divi-
na vox eis pollicetur, quod oratio eorum impleatur. Per hoc officium etiam
ecclesia tribulationem christiani populi recolit, quam sub antichristo sicut Macha-
bei sub Antiocho passurus erit. Huic adventus Christi propinquus pro-
nunciatur, per quem ab omni hostium formidine eruatur. Per fideles quoque
sic consolatur: Dicit dominus ego cog. pacis et non afflict. Qui in oratione
mentes suas ad penitentiam excitari postulant, quo remedia
indulgentie percipiant. In lectione regnum Christi eis et iudicium
eius promittitur. Et ipsi in graduali et alleluia de sua ereptione gratu-
lantur. In euangelio populi ad Christum confluxisse et ab eo refecti referuntur,
quia tunc omnes gentes ad Christi iudicium concurrent et ab eo qui est pa-
nis vivus reficientur. In offertorio petunt illo digni fieri.
In communione promittitur illorum oratio compleri. Ideo euangelium de quinque
milibus nunc legitur, quia abhinc quinque dominice ad nativitatem domini com-
putantur, quo quasi quinque post etates celesti pane fideles sacian-
tur. Ideo etiam legitur, quia semper circa festum sancti Andree evenit,
cuius mentio in eodem euangelio agitur. Queritur cur post estatem
plures sint lectiones et euangelia quam officia. Sed sciendum est quod
officia embolismalibus lectiones et euangelia communibus annis